

ejus, a dispositione ordinis in finem ad eventum ordinis, maxima confusione procedunt.

XXI. Nos ergo, cum intendamus solum in præsentem agere de decreto efficaci incarnationis, et prout de facto determinatum est, plura ex his instantibus resecamus, quæ pertinent solum ad decreta inefficacia, seu ad providentiam generalem imponentem ordinem, non vero attendentem ad exitum, seu eventum rei. Et ideo ut difficultatis punctum, in quo situm sit, aperiamus, in primis non est quæstio, an Christus veniret Adam non peccante per aliud decretum, et secundum aliam rerum mutationem. Constat enim potuisse Christum venire, etiam Adam non peccante, sicut potuit assumere naturam angelicam, et nos non redimere, etc. an vero ita foret est plane divinare, et ad abyssum iudiciorum Dei spectat.

XXII. Secundo, est certum quod si decretum præsens sumatur prout comprehendit, non solum incarnationem, sed etiam circumstantias omnes, ex vi istius decreti sic circumstantionati adveniret tunc, quia oporteret alias circumstantias habere, et quoad hoc esset aliud decretum, seu alia extensio decreti pro ea parte, qua circumstantias tangit.

XXIII. Tertio, nolumus hic disputare, quem ordinem servavit Deus in decernendis omnibus ordinibus rerum, qui inveniuntur in hoc mundo, scilicet, ordine rerum naturalium, ordine supernaturalium, et ordine hypostatico; et an omnia unius ordinis supponantur ad alium, eique subordinentur, vel non. Nec enim hæc latius disputanda sunt, sed solum obiter tangenda quantum necesse fuerit ad explicandum decretum efficax incarnationis.

XXIV. Difficultas ergo stat in hoc, an hoc decretum efficax quo deter-

minatum est Christum de facto venire, et intenta est communicatio hypostatica quod ad eventum, et exitum rei, id est, efficaciter, habuerit dependentiam, seu respectum, aut connexionem cum redemptione a peccato vel non habuerit. Et quia dupliciter potest habere connexionem; uno modo cum redemptione a peccato, ut prius prævisio, et prius voluto remedio; deinde volendo Christum, qui remedium illud daret: alio modo cum redemptione a peccato, ut secuta tamquam medium, ut veniret Christus prius intentus, ut finis ante prævisionem peccati; ideo utroque modo inquirimus, quam dependentiam, aut connexionem habuerit incarnatio, ut efficaciter decreta, cum redemptione a peccato.

ARTICULUS II.

Utrum ex vi præsentis decreti ponatur incarnatio in re, si Adam non peccaret?

I. Ut supra diximus in initio huius quæstionis in commentario articuli tertii, omnes rationes dubitandi in ista difficultate reducuntur ad duo capita. Primum, ex parte prædestinationis Christi, qua prædestinatus est ut finis omnis creaturæ; et consequenter efficacia huius finis debuit antecedere efficaciam volendi totum universum, quod ordinabatur ad ipsum, ut ad finem. Unde ulterius fit, quod prius fuit efficaciter decretum de Christo, quam institutus esset ordo naturalis hominum, et reliquarum creaturarum; atque adeo prius quam Adam intelligeretur habere gratiam, et peccasse, quia semper intentio efficax finis præcedit volitionem eorum, quæ ordinantur ad ipsum.

II. Secundum est ex parte motivo-

rum, ex quibus Christus decernebatur venturus, quia fuerunt alia motiva sufficientia, quæ moverunt Deum ad decretandum, quod Christus veniret, præter motivum redemptionis a peccato, atque adeo etiam si hoc cessaret, etiam Christus veniret ex vi præsentis decreti, ut innititur aliis motivis, quæ ad ipsum de facto concurrerunt.

III. Ex his difficultatibus nata est duplex sententia celebris in hac parte, quæ inde in varia dividitur capita, secundum varias explicationes auctorum, qui has scholas sequuntur. Nam D. Thomas (ut vidimus in articulo tertio) existimat ex vi præsentis decreti, et motivorum ad illud, Christum venisse in remedium peccati, et quod non veniret nisi remedium illius, quia sic auctoritates multæ dicunt, de quibus solum possumus certificari de motivis Dei. Scotus autem in III, distinctione VII, quæstione III existimat, ex vi præsentis decreti, eo modo quo factum est, Christum venturum, et tamen asserit, sine præiudicio alterius sententiæ, quæ in auctoritatibus fundatur, quarum vim fugere voluit Scotus, et ut illas aliquantulum exponat dicit, intelligendum esse, quod Christus non veniret ut redemptor, vel etiam ut passibilis, nisi homo peccaret, quia ergo ista duo concurrerunt in Christo, scilicet, quod sit finis omnium creaturarum Dei, et quod fit redemptor generis humani, ideoque in carne passibili veniret. Et Scotus considerans ipsum ut finem, dicit esse prædestinatum independentem a peccato hominis, licet non ut redemptorem. At vero D. Thomas considerans Christum non efficaciter fuisse intentum de facto, nisi ut redemptorem, propter hoc etiam motivum vult factam fuisse incarnationem.

IV. Divisi sunt auctores in sequendo, et explicando mentem horum

auctorum. Nam quidam absolute sequuntur Scotum dicentes, quod decretum, quo Deus voluit incarnationem Christi, ita fuit absolutum, quod omnino independentem fuit volitum a creatione hominum, et Angelorum, et totius universi tamquam finis absolute intentus; deinde vero voluit Deus gloriam Angelorum, et hominum, et tandem creaturas in esse naturali licet ab istis in executione.

V. Secundo, alii voluerunt incarnationem Verbi, et ipsum Christum determinate fuisse primum prædestinatorum, et primo intentum efficaciter ut finis omnium, ita quod ut esset volitus in ratione finis, nulla præcessit peccati prævisio, neque alterius creaturæ prædestinatio; tamen ut in executione fieret incarnatio dependisse a ratione redemptionis, ut a medio, sine quo non mandaretur executioni. Sicut vult Deus prædestinatum eligere ad gloriam per modum finis, cuius tamen assecutionem non vult fieri nisi per merita, et ita in ratione finis intenti non pendet a meritis; in executione pendet ab illis: sicut quando intenditur quilibet alius finis efficacia intentionis in ratione intentionis explicite non pendet a mediis, tamen assecutio ejus sine mediis non est, quæ virtualiter includuntur in volitione finis, et implicite. Ita Lorca hic disputatione III, membro II, licet alii ante etiam sequerentur illam sententiam.

VI. Tertio, inceperunt alii ulterius assignare in volitione Dei, qua voluit incarnationem, indeterminationem, seu indifferentiam ex parte objecti voliti, intelligentes, quod Deus voluit primum unionem hypostaticam, vel incarnationem, abstrahendo a carne passibili, vel impassibili; deinde remedium peccati fuisse causam motivam adæquatam, et totalem volendi mysterium incarnatio-

nis, et quantum ad substantiam, et quantum ad rationem carnis passibilis, ita ut per illam solam veniret Christus. Addunt tamen non hanc solam fuisse causam adæquatam incarnationis, sed etiam bonitatem intrinsicam, et excellentiam ipsius mysterii, quæ erat prior redemptione peccati, et hæc fuit vera, et principalis causa.

VII. Nec existimat inconveniens hæc sententia posse dari duas causas totales, et adæquatas motivas ad volendum aliquem finem, præsertim quando secunda causa totalis superveniens, addit majorem firmitatem in adhærendo rei volitæ, et non solum servit ut causa motiva, sed ut impulsiva ad accelerandum, vel magis firmandum, et determinandum voluntatem. Dicitur enim motiva causa, quæ movet principaliter ad effectum: impulsiva autem, quæ etiam movetur, magis tamen firmat, aut accelerat ad opus: et sic ex duabus causis Deus movebatur ad incarnationem, et ad hoc ut veniret passibilis ex remedio peccati, quod etiam deservebat ut impellens, et non solum ut movens ad incarnandum. Unde sequitur, quod voluntas incarnationis fuit prior absolute voluntate permittendi peccatum; tamen Christus non fuit prædestinatus in carne passibili, nec ut redemptor, ante prævisionem peccati absolutam, et per scientiam visionis. Ita Suarez, sequens in omnibus Scotum, hic disp. v, sect. III, et sequentibus, rejiciens omnino, et conclusionem, et rationem D. Thomæ.

VIII. Quarto, Asturicensis relectione de gratia Christi a pagina 683, distinxit de decreto unionis hypostaticæ, absolute præscindendo a persona determinata, quæ incarnaretur, et de natura, quæ sibi uniretur, et de decreto incarnationis, quo prædestinaretur venire

Filius Dei in natura humana. Et dicit, quod primo decrevit Deus se communicare triplici ordini, scilicet hypostaticæ unioni, supernaturali et naturali, non determinando in qua persona, et in qua natura hypostaticè communicaretur. Et in hoc decreto non explicite intendebatur subordinatio unius ordinis ad alterum, licet virtualiter continebatur, quod uterque ordo inferior esset propter unionem hypostaticam.

IX. Deinde posito hoc decreto, incepit Deus ab infimo ordine rerum naturalium, statuendo creare universum; deinde ordinem supernaturalem determinavit pro creaturis rationalibus; vidensque in illis defectum, decrevit reparationem ejus. Et tunc primo incepit determinare, quod Persona Filii uniretur naturæ humanæ, ut repararet ordinem perditum. Unde concedit, quod Filius Dei, ut talis Persona, solum propter peccati remedium venit: si tamen non extaret peccatum unio hypostatica salvaretur in aliqua Persona, et in aliqua intellectuali natura, licet non esset infallibile, quod Filius Dei veniret.

X. Et licet ita referatur sententia Vincentii ab aliis auctoribus, scilicet Cabrera, et Nazario, tamen in ipsomet Vincentio, aliter invenio; dicit enim pagina 688, quod si ad illud primum decretum in Deo attendamus, Deus quidem non veniret in mundum, si homo non peccasset; non tamen propter remedium peccati, si ly propter sumatur in rigore, quia peccati remedium, cum solum implicite in illa prima intentione contineretur, habebat rationem medii accommodati ad manifestationem divinæ gratiæ, non tamen rationem finis. Sentit ergo Vincentius, quod non solum veniret determinata Persona Filii, sed nec etiam veniret Deus, absolute loquendo,

non existente peccato, quamvis non propter remedium illius, ut propter finem.

XI. In explicanda autem sententia D. Thomæ, non minus diversimodi multiplicati sunt, præsertim orti ex illa difficultate Scoti, quod Christus prædestinatus est ut primus prædestinatorum, et finis universi, et ordinate volens, prius vult finem, et quod est propinquius fini: prius ergo fuit volita incarnatio, quæ est propinquior fini, quam redemptio hominum. Unde oritur difficultas in explicando, quomodo prius fuerit prævisum peccatum per scientiam visionis absolutam, quam Christi prædestinatio tractaretur.

XII. Et primo, pater Vasquez, qui cum D. Thoma, sentit Christum non venturum, nisi Adam peccasset, sentit etiam, disp. XI, cap. VI, incarnationem non esse finem respectu redemptionis humanæ, sed medium ordinatum ad redemptionem; et ita redemptio est finis cujus gratia, et homo lapsus finis, cui est volita redemptio: manifestatio autem bonitatis divinæ est simpliciter finis ad quem omnia ista reducuntur. Et bene potuit Deus ad hunc finem taliter disponere cætera media, quod nobilius ordinaret ad minus nobile, scilicet incarnationem ad redemptionem.

XIII. Addit tamen, redemptionem nostram rursus ordinari ad gloriam Christi, ut ad finem, quia ex nostra justificatione, et redemptione magna ei gloria redundavit; non tamen est ipsa gloria finis, ut causa motiva redemptionis; sed causa quasi impulsiva, quia ita voluit redemptionem nostram, ut finem incarnationis, quod etiam voluit id in gloriam Christi redundare. A qua sententia non longe recedit Valentia, quatenus ponit in proposito eundem esse ordinem intentionis, et executionis, et sic in intentione fuisse posterior-

rem prævisione peccati, sicut et in executione.

XIV. Secundo, alii posuerunt Christum, ut finem redemptionis nostræ, et totius scientiæ, et creaturæ: et Cajetanus, in hac parte viam aperuit optime philosophandi, licet in eo quod præsupposuit, non ita ab omnibus approbetur. Præsupponit enim unum Cajetanus, et dicit aliud: supponit a Deo esse prævisos tres ordines rerum, quibus se communicaret, scilicet ordinem naturæ, ordinem gratiæ, et ordinem hypostaticum; et primo ordinavit ordinem naturæ, et quia hic non pertingit ad fruitionem divinam, ordinavit ordinem gratiæ; et quia hic non pertingit summam unionem cum Deo, ordinavit ordinem hypostaticum; atque adeo relictus est locus prævidendi peccata, quæ spectant partim ad ordinem naturæ, cum ex defectu illius sint; partim ad ordinem gratiæ, cum illi opponantur, antequam discernatur incarnatio. Asserit autem Cajetanus, quod licet finis semper sit prius volitus ordine causalitatis iis, quæ sunt ad finem, et quod ea, quæ sunt ad finem, possunt non esse volita posito fine, tamen quod de facto, ita sit volitus finis sine illis mediis, seu effectibus, aut occasionibus, quæ sunt ad finem, hoc non dependere nisi ex voluntate ordinantis finem, quia potuit illum ita dirigere, ut non nisi cum tali effectu, occasione, et medio vellet.

XV. Hanc philosophiam in re, fere omnes sequuntur, quia finalem causalitatem in Christi incarnatione ponunt respectu redemptionis a peccato; licet non omnes convenient in eo, quod præsupposuit Cajetanus, scilicet, quod ordo gratiæ supponit ordinem naturæ, et ordo hypostaticus utrumque, cum multa peccata præsupponi non possint ante ordinem hypostaticum, ut sunt illa,

quæ erga personam Christi perpetrata sunt, in quorum tamen redemptionem venit. Et multi quidem simpliciter senserunt incarnationem esse finem, et redemptionem a peccatis esse medium, non quidem ex natura rei, quia poterat sine tali medio velle illum finem, cum sit pluribus aliis mediis assequibilis; sed quia Deus alligavit voluntatem suam huic determinato medio; finis autem licet efficaciter intendatur ante explicitam volitionem mediorum, non tamen ante implicitam, quia ibi continentur, et per ordinem ad illa finis est volitus.

XVI. Et ab hac sententia Cajetani parum differt modus dicendi Ruardi controversia VIII, Zumel, et Albertini, et Capreoli, quamvis Capreolus post visum hoc universum, et hominis casum, voluerit Christum apponere tamquam finem omnium prædestinatorum; et tandem fere incidit in sententiam Vazquez, quod Christi prædestinatio est finis nostræ prædestinationis ex parte effectus temporalis, quatenus cedit in gloriam Christi; nostram vero prædestinationem esse finem prædestinationis Christi, quatenus prædestinata est incarnatio in remedium peccati. Videantur plures sententiæ apud Nazarium hic conclusione unica.

RESOLUTIO DIFFICULTATIS.

PRIMA CONCLUSIO.

XVII. Nihilominus dico primo: Repugnat intelligere in aliquo priori (quantumcumque præciso) decretum efficax incarnationis Christi ut efficax, in genere, et ordine intentionis, non intelligendo illud in statu determinato talis Personæ, et naturæ, et officii redemptoris, et naturæ passibilis determinatæ, etc.

XVIII. Fundamentum hujus conclusionis pendet ex duobus. Primum est, quod decretum efficax respicit rem in se ipsa, et in statu assequibilis: secundum est, quod si est perfecte efficax intentio, quanto est magis efficax, efficacius infertur electio, et facilitatem ad ipsam præbet; sicut principia quanto efficaciora sunt, facilius et efficacius inferunt conclusionem. Et primum patet ex doctrina præcedenti articulo explicata, ex D. Thoma. Et ratione sic: Quia in nullo priori potest considerari decretum ut efficax, nisi in quantum respicit exitum, seu eventum rei, non autem solum ordinationem, seu subordinationem inferioris et superioris, medii et finis, finis proximi et ultimi: istæ enim subordinationes pertinent ad impositionem ordinis in rebus, non ad ipsum exitum, seu eventum rei a suis causis, ut supra ex D. Thoma diximus.

XIX. Quod vero Christus intendatur efficaciter ut finis, necessario postulat, quod intendatur ut terminus in re assequibilis per media, non solum speculative, sed practice, et prudenter; sed impossibile est, quod quamdiu consideratur unio hypostatica in communi, et ut abstrahens a passibili carne vel impassibili, a natura humana vel angelica, consideretur ut practice et prudenter assequibilis in re; ergo neque ut terminus efficaciter intentus etiam per modum finis. Consequentia patet, quia finis efficaciter intentus ordine intentionis debet esse consideratus ut terminus assequibilis per media in re, ut supra dicebamus ex D. Thoma 1-2, quæst. XII, articulo primo ad quartum: ergo nequit ordine intentionis efficaciter appeti, nisi ut terminus in re assequibilis per media consideretur. Minor probatur, nam impossibile est, quod practice consideretur ut asse-

quibilis in re aliquis terminus, et prudenter, nisi consideretur status assequibilitatis in re, stante dictamine in particulari de tali re in singulari, et determinate, quia prudentia solum versatur circa singularia, et agibilia: nec enim de re aliqua in abstracto, et in communi potest formari practicum dictamen assequibilitatis ejus, cum in statu illo abstracto assequibilis non sit; ergo ut practice assequibilis judicetur, oportet quod determinate consideretur in statu assequibilitatis, id est, ut singularis, et determinate talis, scilicet passibilis, vel impassibilis, etc. Itaque licet in illo priori intentionis, quo aliquid ut finis intenditur, non explicentur ibi media, quibus assequendus est, sed solum virtualiter contineantur, tamen nec virtualiter contineri possunt nisi finis, qui intenditur, in statu assequibilitatis consideretur: non consideratur autem ut assequibilis practice, et in re, secundum dictamen prudentiale, nisi determinetur in singulari secundum modum determinatum, quo factibilis est: ergo, etc.

XX. Dices: Bene potest intendi aliquid efficaciter ut finis in singulari, et tamen non omnia ejus accidentia determinate intendi; alioquin non potest intendi Christus ut finis, nisi intenderetur ut albus aut niger; vestitus vel nudus, in tali vel tali tempore, aut patria: quæ tamen accidentia in illo priori signo non oportet esse determinata, quia non pertinebant ad rationem finis: ergo neque necesse erat, quod tunc decerneretur ut passibilis, vel impassibilis determinate; ut redemptor, vel non redemptor, quia sine his poterat intelligi Christus in singulari. Et licet sine aliquo istorum determinato non posset in executione venire, non tamen erat necesse in priori decreto efficaci, quod

erat tantum decretum intentionis et non executionis, determinate contineri hæc accidentia, sed reservantur determinanda pro secundo decreto executionis.

XXI. Et non dico per decretum executionis quantum ad ipsum imperium, quod sequitur electionem, quia imperium regulatur ab electione, ita quod non potest imperium ordinare aliquid, quod in electione non præsupponat determinatum: sed voco decretum secundum, ipsam electionem, ut distinguitur ab intentione, quia in intentione solus finis est volitus, media autem relinquuntur electioni. Et certe si ordinem intentionis condistinguamus ab ordine executionis, secundum quod intentio respicit rem ut volitam, executio ut faciendam: sic ordo intentionis non sistit in præciso actu erga finem, sed in electione erga media: et executio incipit ab imperio, et sic efficacia ponitur in particulari. Difficultas autem est inter actum intentionis, et electionis, quia ille finem tantum respicit, non media: unde determinationem illarum circumstantiarum relinquere potest electioni mediorum.

XXII. Nihilominus licet in nobis ita possit accidere, propter imperfectum modum præbendi, et deliberandi, non tamen in Deo, quia hoc est contra perfectam efficaciam intentionis: intentio enim quanto efficacior est, tanto efficacius infert electionem: ergo tanto magis debet facilitare, et expedire viam ad electionem mediorum, et ad viam assecutionis: in hoc enim consistit efficacia causæ, quod facilius effectum educit: ergo oportet quod ipsum finem, non ita in confuso intendat, sed tali determinatione, quo ad statum suum, et singularitatem, ut ex vi illius possint efficaciter determinari media. Si autem finem

velit indeterminate, et quasi in abstracto, aut ineffaciter vult si indeterminate, cum in manu ejus sint omnia illa requisita ad determinatum statum rei volitæ: aut imperfecte vult, si in manu ejus omnia non sunt, sed paulatim per inquisitionem, et consilium illa considerat.

XXIII. Constat enim, quod intentio tanto est efficacior in electionem, quanto magis determinate procedit, ita quod rem magis in singulari attingit: sic enim magis perfectus est motus practicus quatenus minus in confuso, et magis determinate rem attingit, non solum in singulari, sed etiam secundum statum suum determinatum, et in singulari, et ex magis determinatis, et certis motivis proceditur.

XXIV. Et ratio est, quia si plura relinquat determinanda per electionem (quia rem ipsam intentio non ita determinate attingit) redditur ipsa electio difficilior, et confusior, quia cum res non debeat exire, et venire nisi in statu determinato, et cum determinatis accidentibus, ad statum suum spectantibus; si hoc relinquatur determinandum per electionem, in hoc fuit minor efficacia intentionis; et consequenter est in contingentia, ut si electio non ita determinatam viam inveniatur, et remittatur efficacia voluntatis circa exitum, et eventum rei. Quare cum efficacia Dei in intendendo sit summe perfecta, et procedat in eo, in cujus manu sunt omnia requisita ad determinationem, et statum rei singularis intentæ, oportet quod hoc ipso, quod efficaciter aliquid intendit, intendat cum omni determinatione requisita ad statum assequibilitatis talis rei; ita quod ex determinato motivo, et cum efficacia parante viam ad determinatam electionem procedat.

XXV. Denique, licet verum sit, quod redemptio hominum, prout

passive in hominibus exercetur, sit effectus incarnationis, et ad illam ut ad finem referatur, tamen ipsa circumstantia passibilitatis, vel impassibilitatis, et officium redemptoris in Christo etiam pertinet ad rationem finis: nec enim sola unio hypostatica ut sic est finis, sed Christus passibilis et redemptor, ut de facto est: sicut Christus impassibilis, et gloriosus modo est finis totius creaturæ, et fuisset in statu innocentiae si tunc venisset.

XXVI. Cujus ratio est, quia Christus ut redemptor est caput Ecclesiæ; ut redemptor enim influit in illam per merita sua, et si quid in Angelos influit, utique illis meruit charismata; quæ influit; ergo Christus ut in statu merendi consideratus est caput totius Ecclesiæ in cælis, et in terra; et consequenter finis omnis creaturæ rationalis, ac per consequens omnis creaturæ. Ergo cum fuerit prædestinatus ut finis omnium in singulari, oportuit quod in illo signo intentionis, in quo ut finis efficaciter fuit prædestinatus, intraret ibi status passibilitatis, in quo meruit, quia etiam ille status pertinebat ad rationem finis, et capitis prout in Christo erat; non ergo pertinuit ad aliud instans, sed etiam ad signum efficacis intentionis; sicut in primo signo, quo Deus elegit Petrum ad gloriam ante præparationem mediorum, elegit illum ad talem gradum gloriæ in singulari, quia etiam ille gradus est finis ad quem prædestinatur; sic etiam determinatio passibilis, vel impassibilis, et status merendi, pertinet ad finem in prædestinatione Christi, et sic intrat primum signum efficacis intentionis.

SECUNDA CONCLUSIO.

XXVII. Dico secundo: Remedium peccati habuit connexionem cum

decreto incarnationis efficaci, ut de facto est volita, tamquam motivum, et ratio propter quam, non tamquam medium subsecutum: et ita prævisio peccati antecessit decretum incarnationis, etiam in genere intentionis; non vero subsecuta est. Intelligimus autem non fuisse remedium peccati primariam rationem et motivum, quia primaria fuit manifestatio bonitatis divinæ, seu gloria Dei, propter quam incarnatio facta est. Et quando hic loquimur de motivo semper intelligimus de motivo proximo, non de illo primario, et universali, quod est Dei gloria. Et adhuc non definimus in hac conclusione, an fuerit remedium peccati causa motiva proxima, taliter quod præcipue fuerit intenta, et omnes aliæ causæ ad illam ordinatæ; an vero e contra aliæ causæ fuerint, verbi gratia, exaltatio humanæ naturæ, et consummatio universi, remedium vero peccati ad illas causas ordinatur; hoc enim solum est sub opinione, etiam apud D. Thomam, licet probabilius senserit in hac tertia parte remedium peccati fuisse causam præcipuam, ad quas aliæ reducuntur, quod ergo in hac conclusione dicimus, est quod remedium peccati, exaltatio naturæ, consummatio universi, et si quæ aliæ causæ fuerint, istæ non se habuerunt ut media; et præsupposita volitione incarnationis descendenti, sed ratione motiva ut ipsa incarnatio esset intenta ut finis.

XXVIII. Fundamentum hujus conclusionis sumitur ex eo, quod iste finis incarnationis est omnino extrinsecus ipsi universo, et creaturæ rationali, atque omnino indebitus: unde ex mera voluntate Dei est appositus ut finis: atque adeo ex aliquo motivo extrinseca voluntas Dei se determinavit ad intendendum hunc finem. Non habemus autem in Scriptura, quod Deus ex motivo di-

ligendi Unigenitum suum voluit hominibus ferre remedium; sed e contra, quod ex eo quod Deus dilexit homines voluit illis dare Filium suum; ergo remedium peccati non fuit assumptum ut medium ut veniret Filius Dei, sed potius ut motivum ad hoc ut veniret. Consequentia patet, quia si esset medium deberet esse volitum ex volitione ipsius Filii Dei, utpote finis, atque adeo verificari deberet, quod Deus sic dilexit Christum, ut voluerit homines redimere per ipsum: ex eo enim quod Christum dilexit, voluit medium hoc, quod est remedium peccati.

XXIX. Nunquam autem hæc locutio in Scriptura invenitur, sed oppositum, scilicet, quod sic dilexit homines ut Filium suum daret, et quod propter nos homines incarnatus est, et quod commendat: *Deus charitatem suam in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est*, Roman. v. et: *Quod propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, convivificavit nos in Christo*, Ephes. ii. Si autem remedium peccati esset medium ut veniret Christus, verificari deberet oppositum, scilicet, quod propter charitatem suam, qua dilexit Christum, convivificavit nos in illo, et redemit nos, quia medium semper diligitur propter finem, et magis commendaretur charitas Dei erga Christum, quam erga nos, quia remedium nostrum esset assumptum ad illum finem.

XXX. Et hoc genus arguendi in sacra Scriptura efficax visum est sanctis patribus, in simili enim vincit Augustinus Pelagium, quod gratia Dei non ex æquo cum libero arbitrio concurrat ad salutem, quia sic eodem modo, quo dicit Paulus: *Non est volentis, neque currentis; sed miserentis Dei*, dici posset: *Non est miserentis Dei, sed volentis hominis*, quia misericordia Dei non sufficit si